

sum loci perfectioris rejiciunt, ut obiter atque obscure dictis placita sua ingerere possint.

4. *Locus parallelus ejusdem auctoris praferendus est locis alius auctoris*; optimus enim quisque suorum verborum interpres. Excipe locum ubiorem vel clariorem alias auctoris, quem constat loci, de quo agitur, sensum bene novisse. Quum autem auctor principalis omnium librorum sacrorum idem sit Spiritus Sanctus: in Bibliis omnes loci paralleli, quatenus res ipsa spectatur, ejusdem sunt auctoris. In parallelismis autem verbalibus, quum lingua et elocutio auctorum humanorum propriae sint, valet regula superior; ergo in his loci ejusdem auctoris humani praeferendi.

Loci paralleli eandem rem tractantes, qui inter se non congruunt, vocantur loci pugnantes. Si tales loci revera inter se repugnant, pugna est *vera* (antilogia, enantiosis); si autem pugnare tantum videntur, pugna est *putativa seu apparens* (enantiophania). De locis pugnantibus alibi ex professo agetur.

#### ARTICULUS SECUNDUS.

##### Investigatio sensus rhetorica.

(Rhetorica biblica.)

##### § 41.

##### Character elocutionis biblicae.

Elocutio seu stilus a Cicerone definitur: idoneorum verborum et sententiarum ad res inventas accommodatio. Elocutio significat tum linguae proprietatem ac perfectionem (stilus grammaticus), tum orationis formam: perspicuitatem, subtilitatem, sublimitatemque cogitationum, selectionem ornatumque verborum, et ordinem sententiarum (stilus rhetoricus). Hoc loco de stilo rhetorico Bibliorum acturi sumus.

Sensum orationis ab elocutione, praesertim tropica ac figura dependere, ratio et experientia docet. Sermo autem biblicus tanta elocutionis ubertate atque audacia excellit, ut a nobis, hominibus modernis et occidentalibus, nisi diligenter studio adhibito, intelligi vix, aut saepe omnino non possit. Verissime jam S. Augustinus dixit: »Multa in Scripturis sanctis obscura, cognito

locutionis genere, dilucentur.<sup>1</sup> Speciatim proprietates elocutionis biblicae sunt:

a) *Simplicitas cum sublimitate*, subtilitas, gratia et vis orationis, sine omni sapientiae ac facundiae humanae studio. Nihil est, quod hac in re imprimis evangeliis vel comparari possit.

b) *Oratio popularis* idest genus communi omnium iudicio popularique intelligentiae accommodatum. In Scriptura enim Deus ad homines omnium locorum et temporum, cultiores incultosque nuntium mittit; ita ergo loquitur, ut ab omnibus intelligatur.

c) *Lacunae in narratione et doctrina*. Auctores enim sacri religionis ac morum causa, plerumque occasione data libros scribentes, de integritate et ordine relationis minus erant solliciti.

d) *Troporum ac figurarum abundantia*, quae partim ex vivida imaginatione fervoreque animi orientalium, partim ex argumenti sublimitate nascitur. Tropi autem depromuntur tum de natura physica,<sup>2</sup> tum de vita humana — de re rustica, pastoricia vel bellica — tum de rebus sacris, tum ex historia populi electi.

e) *Repraesentatio concreta* et rei descriptae paene sub aspectum subjectio, item fuga idearum abstractarum.

f) *Obscuritas*, quam antiquitas ac patria librorum sacrorum remota et ipsa mysteria proposita gignunt.

g) *Indoles divina et humana*, naturalis et supernaturalis, dupli auctori respondens.

S. Scriptura nonnullos continet libros in totum poëticos,<sup>3</sup> praeterea multas partes poëticas, libris historicis, didacticis ac propheticis insertas, adeo ut circiter una tertia pars Antiqui Testamenti sit poëtica. Poësis Hebraica, universa quae exstat, est sacra et religiosa. Nonnulla tamen vestigia poësis profanae, praeter

<sup>1</sup> Retract. II. c. 54. — Idem S. Augustinus ait: »In Scripturis per homines more hominum loquitur Deus.« Civ. D. XVII. 6. — »Nullo locutionis genere loquitur Scriptura, quod in consuetudine hominum non inventatur, quia utique hominibus loquitur.« De Trin. I. 12. — »Scriptura nostra, quomodo loquitur, sic intelligenda est; habet linguam suam; quicunque hanc linguam nescit, turbatur.« Tract. 10. in Joan. c. 2.

<sup>2</sup> In S. Scriptura 250 nomina botanica inveniuntur, eaque potissimum in imaginibus.

<sup>3</sup> Masoretae tres libros poëticos agnoscent: Psalterium, Job et Proverbia; sed iis adnumerandi sunt libri: Ecclesiastes, Canticum, Threni, Ecclesiasticus et Liber Sapientiae.

carmina humana in quosdam libros sacros recepta<sup>1</sup> in Bibliis inveniuntur.<sup>2</sup>

Non est nostrum poësin biblicam omni ex parte pertractare; itaque breviter tantum interpreti necessaria proponimus, etquidem ea, quae ad *formam* et *materiam* poësis biblicae pertinent.

#### § 42.

##### Poësis biblicae forma.

1. — Poëmata biblica, ut aliarum gentium carmina, suam formam rhythmicam, auribus et mentibus jucundam habere, a priori verisimile et jam antiquis persuasum erat. Qualis tamen illa forma sit, nec Judaei, nec Patres tradiderunt, neque e textu exstante facile colligitur. Certum est, aliquam syllabarum numerationem vel proportionem et caesuram adesse, carminaque cantui et fidibus accommodata esse. Metrum autem seu pedes sive quantitatis sive accentuum verisimiliter desunt, ut plurimi viri docti (Jahn, Herder, De Wette, Ewald, Winer, Keil, Hupfeld, Bleek, Nöldeke, Haneberg, Cornely, Kaulen, Strack etc.) censem. Plures versiculi conjuncti strophas constituunt, e quibus carmina compunctionur. Sed non omnia carmina biblica strophas habent.

In poësi profana meliore antiqua et recentiore tres rhythm species inveniuntur: metrum (pedes) seu mensura quantitatis syllabarum alternans (apud Graecos et Latinos), metrum (pedes) accentus, qui Hungarisi,<sup>3</sup> Germanis et Slavis proprius est, et rhythmus numeri, seu numerus proportionatus syllabarum versuum, carminibus e. g. Gallorum familiaris. Eis in poësi moderna plerumque accedit homoeoteleuton (rim, Reim), quod efficitur versibus vel sententiis similiter desinentibus. (In prosa vocatur makama.)

Josephus Fl., quidam Patres (e. g. Origenes, Eusebius, S. Hieronymus etc.) imo posteriores quoque scriptores etiam poëmatibus Hebraeorum metrum — scil. pedes: iambos, trochaeos, dactylos, et versus hexametros, Sapphicos etc. — inesse suspiciati sunt. Alii recentiores metrum accentuum in carminibus biblicis detegere volunt. Recentissimo tempore imprimis G. Bickell e Syrorum poësi leges metricas Hebraeorum colligere tentavit. De ejus sententia versus Hebraici syllabis tonum

<sup>1</sup> Gen. 4, 23. 24. Num. 21, 27—30. Judic. 14, 14. 18. 15, 16. I. Reg. 18, 7. etc.

<sup>2</sup> Is. 23, 16. 24, 9. Am. 6, 5. 8, 10. etc.

<sup>3</sup> Hungari etiam carmina metrica olim potissimum colebant.

habentibus et eo parentibus (acutis et gravibus) alternantibus constant, ita ut syllaba acuta et gravis unum pedem disyllabum constituant, iambis aut trochaeis similem, licet in eo quantitatis syllabarum nulla ratio habeatur. Accentum tamen non e textu masoretico depromendum, sed ex analogia linguae Syriacae conjiciendum esse censem, et plerumque in syllabam paenultimam ponit. Frequentissimum esse dicit versum iambicum heptasyllabum. Insuper statuit plerosque versus cum incisis sententiarum congruere, et ex versibus strophas componi. Systema Bickelli in essentia profitetur et proprio labore perficit G. Gietmann, multique alii (Rohling, Gutberlet, Lamy, Vigouroux, Knabenbauer etc.) eos plus minusve sequuntur. Ceterum similem theoriam jam saeculo XVIII. Fr. Hare proposuit.

Theoria haec fortasse legibus carminum bibliorum detegendis viam parabit, ipsa tamen eas reperisse vel saltem solide probasse nondum videtur. Namque Bickell ejusque sectatores vocales textus masoretici saepe mutare, syllabus vocesque suppressere, novas constituere, voces permutare, accentum ejusdem vocis prout locus postulat, diversis syllabis apponere coguntur. Ita fit, ut idem versus ab altero pro trochaico, ab altero pro iambico habeatur. De pronuntiatione quidem masoretica, utrum genuina sit ac recta, disputatur; aliquando plane certum est, falsas vocales et interpunctiones a masoretis textui esse ingestas. Qua in re eos nec tuto sequi licet, nec temere relinquere. Praeterea dictionis metricae patroni parallelismum saepe negligunt.

Quod ad *homoeoteleuton* attinet, illud in poësi Hebraica tantum casu et fortuito nonnunquam occurrit. E. g. Gen. 4, 23. 49, 5—7. Num. 24, 5. 6. Deut. 32, 15—17. Jud. 14, 18. Ps. 8, 3—7. 28, 2—5. 144, 11—15. etc. Raro etiam *allitteratio*, seu similis sonus primarum syllabarum vel vocum invenitur.

2. — Quomodocumque se res metrorum habeat, inter omnes constat, veram et propriam poësis Hebraicæ rationem esse *parallelismum membrorum*.

Est autem parallelismus harmonia vel rhythmus idearum sententiarumque, seu illud orationis genus, quod unam cogitationem pluribus (plerumque duabus) sententiis symmetricis, invicem se complementibus enuntiat, in quibus dicta dictis, et aliquando etiam verba verbis respondent. Duo plerumque habet membra (stichos), sed nonnunquam tria, immo quattuor. (Distichon, tristichon, tetrastichon.) Membra aequae longa esse solent, raro valde inaequalia sunt. Membra longiora etiam caesuram habent.

Parallelismus antiquis post Christum ignotus, medio aevo ab

Abenezra בְּפִיל idest duplicatum dictus, saec. XVIII. a Lowth primo accuratius examinatus ac descriptus est et parallelismus nominatus. Etiam R. Qimchi parallelismum novit et definivit: »Duplicatio sententiae verbis variatis.« Versiculum solitarium poësis Hebr. non patitur. Parallelismus etiam in poësi Aegyptiaca et Assyriaca, quamvis rarius, inventur. Aliis carminum formis jam eo praestat, quod in linguis alienas translatus vim et gratiam retinet.

Parallelismi species variae distinguuntur; nos quinque distinguimus.<sup>1</sup>

a) *Parallelismus synonymus* unam sententiam verbis plane vel fere aequivalentibus ita repetit, ut sententia secunda sit velut echo prioris. Mera tamen tautologia non est; nam prima sententia secunda augetur, firmatur, illustratur vel nova voce addita completur. E. g.

Quid est homo quod memor es ejus,  
Aut filius hominis, quoniam visitas eum. (Ps. 8, 5.)

Ipse dixit et facta sunt,  
Ipse mandavit et creata sunt. (Ps. 148, 5.)

Magnificat anima mea Dominum,  
Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.  
(Luc. 1, 46. 47.)

Alia exempla: Gen. 4, 23. Deut. 32, 2. Ps. 2, 3. 19, 3. 26, 1—3. 33, 14. 41, 3. 50, 1. 2. 7. 15. 93, 1—3. 113, 1—8. Prov. 3, 9—12. 23, 15. 16. 30, 17. Isai. 6, 10. 15, 1. Tristicha: Ps. 1, 1. 7, 6. Job. 10, 17. Thren. 1, 1. Sap. 8, 2. Tetrastichon: Ps. 90, 5. 6.

b) *Parallelismus antitheticus* unam cogitationem per contrarias sententias (affirmative et negative) enuntiat. Veritatibus imprimis moralibus tradendis aptissimus est, quia virtuti vitium, praemio poenam nervose et efficaciter opponit. In libro Proverbiorum et Ecclesiastico frequentissimus. E. gr.

Ipsi obligati (lapsi) sunt et ceciderunt,  
Nos autem surreximus et erecti sumus. (Ps. 19, 9.)

Deposuit potentes de sede,  
Et exaltavit humiles;  
Fsurientes implevit bonis,  
Et divites dimisit inanes. (Luc. 1, 52. 53.)

Omnia per ipsum facta sunt,  
Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. (Joan. 1, 3.)

<sup>1</sup> Plerumque parallelismus synonymus et antitheticus discernuntur, ceteri omnes parallelismi synthetici vocantur.

Alia exempla: Ps. 17, 28. 36, 35. Prov. 10, 1. 12. 16. 20. 11, 2. sqq. 15, 1. 8. 9. 27, 6. 7. Eccl. 10, 2. Thren. 1, 2. (cum parallelismo synonymo tristichon efficit.)

*Adnotatio.* Synonymia et antithesis possunt esse in subjecto, praedictato vel alia parte membrorum, vel vero simul in pluribus partibus.

c) *Parallelismus comparativus* cogitationem comparatione vel aequiparatione duarum sententiarum exprimit. E. g.

Melior est pauper et sufficiens sibi,  
Quam gloriosus et indigens pane. (Prov. 12, 9.)

Sicut acetum dentibus et fumus oculis,  
Sic piger his, qui miserunt eum. (Prov. 10, 26.)

Similiter: Prov. 15, 11. 16. 17. 16, 19. 17, 1. 3. 10. 26, 1. Eccl. 7, 2. sqq. Cant. 2, 2. Eccli. 13, 1. 22, 10. Luc. 1, 54. 55.

d) *Parallelismus syntheticus* cogitationem prima sententia expressam in secunda continuat, complet, illustrat vel probat. Pro relatione logica membrorum varias habet species. Modo prima sententia aliquid generaliter, secunda idem specialiter vel per casum singularem (exemplum) enuntiat; modo prima thesim statuit, secunda eam illustrat, demonstrat vel ex ea consequens deducit. E. g.

Voce mea ad Dominum clamavi,  
Et exaudivit me de monte sancto suo. (Ps. 3, 5.)

Universa propter semetipsum operatus est Dominus,  
Impium quoque ad diem malum. (Prov. 16, 4.)

Benedictus Dominus Deus Israel,  
Quia visitavit et fecit redemptionem plebis sua. (Luc. 1, 68.)

Alia exempla: Ps. 3, 6. 5, 11. 21, 12. (tristichon), 110, 1. sqq. Prov. 3, 9. 10. 30, 10. Eccli. 41, 1. 2.

e) *Parallelismus analyticus* cogitationem in partes vel casus singulares distribuit, vel sententiam primo universaliter propositam deinde per partes exponit. Quo rarer in singularibus versiculis, eo frequentior est in longioribus strophis.

Lex Domini immaculata convertens animas,  
Testimonium Domini fidele, sapientiam praestans parvulis,  
Justitiae Domini rectae, laetificantes corda,  
Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos,  
Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi,  
Judicia Domini vera, justificata in semetipsa. (Ps. 18, 10—12.)

Mulierem fortē quis inveniet? etc. (Prov. 31, 10. sqq.)

Similiter Job. 3, 10. sqq. 14, 2. Ps. 76, 18, 19. Prov. 6, 16. sqq. 30, 11. sqq. 15, 16. 18—20. 21. sqq. 24. sqq. 29. sq. 33. Eccl. 3, 1. sqq. 12, 1—7. Cant. 2, 11. sqq. 4, 1. sqq. Eccli. 1, 2. 24, 5. sqq. 29. sqq. 51, 3. sq.

Parallelismus non est semper omnibus numeris absolutus et ad regulam exactus. Generatim in textu originali et quoad sensum et quoad formam perfectior est, quam in versionibus. Saepe tamen vitiosa versuum ac periodorum divisio (caesura perperam facta) in ipso textu originali parallelismum depravat.

Parallelismus est *simplex* vel ex pluribus simplicibus ejusdem vel diversi generis parallelismis *composite*. Complexus parallelismorum saepe forma vel arguento similiū symmetricus, frequentius in eadem oratione recurrens, et sententias connexas (periodos) exprimens, *stropham* efficit, strophae autem *carmina* constituunt. Etiam strophae possunt esse synonymae, antitheticæ etc. sicut versiculi paralleli. Pulcherrima stropharum exempla praebent lamentationes Jeremiae.

Parallelismus syntheticus et analyticus saepe e partibus synonymis aut antitheticis componuntur. Ita Ps. 84, 11. sqq. Prov. 30, 17. Is. 6, 9. 10. 43, 2. Luc. 1, 46. sqq. Interdum vocabulum aliquod primi membra etiam ad secundum membrum pertinet (Ps. 113, 1. 2.), vel sensus in uno membro mancus et in suspenso relictus, in altero membro completur (Ps. 93, 1—4. 112, 1.), vel membra enuntiativa cum interrogationibus, responsis et exclamacionibus alternant (Ps. 6, 4. 41, 6. 7.). In tristicho duo priora (Ps. 53, 5.) aut duo posteriora membra (Thren. 1, 2.), aut primum et tertium (Ps. 39, 7.) sensu vel forma inter se congruunt. In tetrastichis modo primum membrum secundo, tertium quarto, (Deut. 32, 41.), modo primum membrum tertio, secundum autem quarto (Deut. 32, 42. Ps. 43, 3.), modo primum quarto, secundum tertio (Prov. 23, 15. 16. Luc. 1, 52. 53.) par est.

Strophas non casu sed consilio auctorum in carminibus biblicis adesse, probant versus intercalares (refrain), e. g. Ps. 41, 6. 12. 42, 5. 45, 8. 12., deinde carmina illa alphabeticæ, in quibus litteræ non singularum versum, sed periodorum initia designant, e. g. Ps. 118. Threni. cc. 1—4., denique vox incertæ significationis *selâ*, saepe evidenter finem periodi indicans, e. g. Ps. 3. Versus tamen stropharum aliquando in eodem carmine numero et forma variant.

Nonnunquam ipsi versiculi diversarum stropharum inter se forma, verbis vel sensu paralleli sunt (synonymi vel antithetici); et talis constructio vocatur *responsio*. (E. g. Amos, 3, 4. 8.)

## § 43.

## Poësis biblicæ materia.

1. — Quoad materiam duo sunt poësis biblicæ genera: poësis *didactica* et *lyrica*, quarum utraque complures habet species.

Quattuor poësis genera intuitu materiae distinguuntur: poësis epica (historica seu heroica), didactica, lyricalia et dramatica, ad quas in poëtica biblica nonnulli addunt poësin propheticam. Poësis epica proprie dicta, quippe quae heroes canat et plerumque fictionem vel saltem auxesim contineat,<sup>1</sup> aliena est a poësi biblica inspirata, nisi opera epica habeantur cantica historica (Ex. 15. Judic. 5. etc.), et alia — ut liber bellorum Domini vel liber justorum — in Bibliis (Num. 21, 14. et II. Reg. 1, 18.) memorata. Poësi autem dramatica omnes gentes antiquæ orientales carent; in Bibliis tantum liber Job et Canticum Cant. dialogo atque actione dramati aliquantulum sunt similia. Prophetiae rhetorica magis quam poëtica sunt opera, quamquam forma et arte poëtica, imo veris poëmatibus, tum didacticis tum lyricis, ornata.

2. — *Poësis didactica* לִשְׁלָוֹת (= simililitudo, comparatio sensu latissimo) veram sapientiam (חַדְּרָה), quae in timore Domini constituit, commendat. Tres habet formas: *dialogi*, *sententiae* et *exempli*. Dialogi sunt liber Job et nonnullae pericopæ aliis libris insertæ; formam sententiae, quae etiam parabola in A. T. vocatur, habent Proverbia, Ecclesiastes, liber Sapientiae et liber filii Sirach; tertiam formam habent exempla biblica et parabolæ evangelicæ. Sententiarum in Bibliis duæ distinguuntur species: *proverbia* (seu *adagia*) et *gnomæ*; priora vulgi sermone trita sunt, et saepe aenigmatica (חַדְּרָה vel מִלְּנִיחָה); posteriores parallelismo et tropis plerumque ornantur. Saepe tamen difficile est carmina didactica et lyricalia discernere.

3. — *Poësis lyricalia* תִּזְבֵּחַ affectus animi canit, et pro varia affectuum specie atque carminum forma, diversas species habet. Species tamen hæc in Bibliis neque accurate definitæ sunt, neque subtiliter distinctæ, immo saepius permixtae et confusæ apparent, ipsaque nominum earum significatio vaga est atque inconstans.

<sup>1</sup> Biblia poësi epica saepe ideo carere dicuntur, quod illa fato et mythologia nitatur. Id tamen perperam dici, et poësin epicam cum idea veri et unius Dei providentiaeque divinae apprime convenire, magnifica opera epica Christiana (quae Dante, Milton, Tasso, Klopstock et alii composuerunt) optime probant.

Sequentes tamen species carminum biblicorum non sine causa distinguuntur.

1. *Šir* שִׁיר sensu stricto i. e. canticum, ode, est carmen sola voce humana sine instrumento musico canendum; praecipue carmen laetum.

2. *Mizmor* מִזְמָר est psalmus seu carmen fidibus (psalterio, cithara) canendum. Multi psalmi (57) plerumque Davidis hoc nomen ferunt. Aliquando šir-mizmor vocatur, quod fortasse significat carmen sive voce sive fidibus, aut vero et vocibus et fidibus canendum.

3. *Šir hamma'loth* שִׁיר הַמְּלֻחֹת canticum graduum seu ascensionis quindecim psalmos (119—133.) significat, ita vocatos vel ideo quod festo tabernaculorum in scalis templi cantabantur, vel quod Judaei de exsilio redeuntes et postea ad festa euntes in via eos cantare solebant, vel ut alii volunt, propterea, quod sensus ac rhythmus eorum quasi per gradus procedit atque ascendit.

4. *Maskil* מִשְׁׁכֵל canticum prudentiae vel contemplationis seu religiosae meditationis.

5. *Tephillâ* תְּפִילָה est oratio, seu carmen precatorium.

6. *Tehillâ* תְּהִלָּה laudatio seu hymnus est. Totum psalterium a Judaeis vocatur *tehillim*, idest laudes (sc. Dei).

7. *Mikhtam* מִקְתָּם i. e. insculpenta (tabulis vel menti), secundum alias aurea vel occulta dicuntur carmina, quae liberationem populi captivi et redemptionem Messianam celebrant.

8. *Šir jedidoth* שִׁיר יְדִידּוֹת carmen amicitiae (amoris erga Jehovahm?) vel gratiosum sed certe religiosum significat.

9. *Siggajon* שִׁגְגָּיָן dithyrambus, rhapsodia, seu carmen a regula aberrans esse videtur.

10. *Qinâ* קִנָּה. est lamentatio, carmen lugubre seu elegia, cuius multa praeclara Bibliis continentur specimina. (II. Reg. 1, 19. sqq. II. Paral. 35, 25. Ps. 41. et 42. Threni, etc.)

Multa opera lyrica per libros sacros A. T. dispersa inveniuntur; immo adsunt libri ex toto lyrici: Psalt. Cant. et Threni.

4. — Praecipua opera, quae de poësi biblica agunt, sunt sequentia.

*Jo. Clericus*, Dissertatio crit. de poësi Hebr. (Apud Ugolin. Thes. ant. sacr. tom. XXXII.) Homoeoteuta consulto facta defendit.

*Fr. Hare*, Psalmorum liber in versiculos metrice divisus, et de ant. Hebr. poësi. Londin. 1736. Numeri solum syllabarum rationem habet, et omnes pedes disyllabos censem.

*Lowth*, De sacra poësi Hebraeorum. Oxon. 1753. Gotting. 1761. (cum adnotationibus a J. D. Michaelis) et Lips. 1815. (edid. E. F. C. Rosenmüller).

*C. G. Anton*, Conjectura de metro Hebraeorum. Lips. 1770. Aliis operibus (1780. et 1800. editis) theoriam suam in psalmos et Canticum applicat. Metrum accentus et pedes iambicos asserit.

*G. Jones*, Poëseos Asiatica commentarii. Oxon. 1774. Lips. 1777. Metrum quantitatis Graeco-latinum defendit, ut jam antea Gomarus et alii fecerant.

*I. G. Herder*, Vom Geiste der hebr. Poesie. Dessau, 1782. sq. Omnia metra negat.

*I. A. Bellermann*, Versuch über die Metrik der Hebr. Berlin, 1813.

*F. B. Köster*, Die Strophen oder der Parallelismus der Verse der hebr. Poesie. (Studien und Kritiken, 1831.) Primus strophas detexit, easque in omnibus carminibus biblicis adesse dixit.

*B. Neteler*, Anfang der hebr. Metrik der Psalmen. Münster, 1871. Grundzüge d. hebr. Metrik d. Psalm. Münster, 1879.

*I. Ley*, Grundzüge des Rhythmus, des Vers- und Strophenbaues in der hebr. Poesie. Halle, 1875. Praeterea multae dissertationes.

Bellermann, Neteler et Ley pedes accentuum e syllabis acutis et gravibus constare censent.

*G. Bickell*, Metrices biblicae regulae. Oeniponte, 1879. Carmina V. T. metrice. Ibid., 1882. Dichtungen der Hebräer. Innsbr., 1882. sq. Tractatus in Zeitschr. für kath. Theol. (Innsbr.) 1878., 1880., 1882., 1885., 1886.; item in Zeitschr. der Deutsch. morgenl. Ges. Leipzig, 1880—81. et Wiener Zeitschr. für Kunde des Morgenl. 1891—94.

*G. Gietmann* S. J., De re metrica Hebraeorum. Frib. 1880. et Stimmen aus M. Laach, 1879., 1882. Bickellum in rei essentia sequitur.

*R. Cornely*, Introd. spec. in V. T. II. 1—34.

*Grimme*, Grundzüge der hebr. Accent- und Vocallehre. Freib. in d. Schw. 1896. Zeitschr. der Deutsch. morgenl. Ges. Leipz. 1896. et Tübinger Quartalschr. 1898. Metra accentuum defendit.

*P. Vetter*, Die Metrik des Buches Job (Bibl. Studien). Freib. 1897.

*Joh. Döller*, Rhythmus, Metrik und Strophik in der bibl. hebr. Poesie. Paderborn, 1899.